

educebatur, quaeque olim in Palae-
stina et maxime in valle Jericho fre-
quentia erant, a Turcis excisa et ra-
dicitus extirpata fuerant, conceditur
Archiepiscopis Lusitaniae, ut in con-
ficiendo sacro chrismate adhibere pos-
sint balsamum ex Brasilia aliisque
novi Orbis Indiarum regionibus al-
latum, eaque in re Pontifex suorum
praedecessorum Pii IV. et Greg. XIII.
exempla sequi se profitetur. Quorum
sane Pontificum providentiam collaudat
Morinus in suo opere posthumo de
Sacramento Confirmationis p. 35. In
Ecclesia graeca similiter Confirmationis
Sacramentum confertur adhibito sacro
unguento, quod compositum est ex
oleo olivarum et balsamo ac insuper
ex aliis fragrantium herbarum specie-
bus, quae sunt numero viginti tres,
adjecta quoque aliqua vini portione.
Praedictas omnes herbas odoriferas
accurate enumerat Habert in librum
pontificalem Ecclesiae graecae ob-
servat. 5. ad Ritu[m] chrismatis, et
Pater Berti tom. 7. sua[re] Theologiae
lib. 32. cap. 5., qui tamen subdit,
difficile admodum sibi videri, omnes
illas herbas ab Haberto indicatas sacro
unguento a Graecis infundi, quum
nonnullae ex illis incognitae sint, ita
ut vix aliqua earum mentio extet in
lexicis et in libris auctorum, qui de
plantis herbisque tractarunt. Sed quid-
quid sit de his, quum antiquus sit
usus commiscendi has herbas oleo et
balsamo, intactus relictus est Ritus in
monito, de quo nunc agimus; admo-
nitis tantummodo Graecis, ne aliud
quidpiam ad materiam Sacramenti ne-
cessarium putent praeter oleum et
balsamum, utque proinde validam
agnoscant hujus Sacramenti ministra-
tionem, quae fiat cum oleo et balsamo
ab Episcopo rite benedictis, etiam si
aliquae forte defuerint ex illis herbis,
quae, juxta eorum Ritum, in sacri un-
guenti compositione admisceri solent.

Sapienter etiam et magna cum ratione
in Synodo Zamosciae habita anno 1720
animadversum fuit a Patribus §. 2. de
Confirmatione, quidquid herbarum bal-
samo adjiciatur, cavendum esse, „ut
maxima pars chrismatis semper sit
oleum balsamo mixtum.“

§. 45 (53). Expensa jam secunda
parte tertii moniti nonnulla hic, ap-
pendicis loco, subnectemus, quae nec
inopportuna nec a proposito aliena
jure censeri poterunt, quum et ejus-
dem Sacramenti Confirmationis doctri-
nam respiciant et ad Euchologii cor-
rectionem pertineant.

§. 46 (54). *Forma Sacramenti Con-
firmationis in graeca Ecclesia*, juxta
communem receptamque sententiam,
sequentibus verbis continetur: *Signa-
culum doni Sancti Spiritus*, quae verba
pronunciantur ab eo, qui Sacramentum
ministrat, dum suscipiens fronti cum
sacro unguento Crucis signum imprimi-
bit, ut colligitur ex Canone 7. Con-
stantinopolitani I. in Collectione Har-
duini tom. 1. pag. 811., utque ex
illius Canonis verbis recte persensis
infert Bessarion sanctae rom. Ecclesiae
Cardinalis in suo opusculo de
Eucharistia, quod impressum habetur
in biblioteca Patrum edit. Lugdunen.
tom. 26. pag. 765.: „Secunda oecu-
menica Synodus, verba, quae sacrum
chrisma perficiunt, tradens in septimo
Canone, ita inquit: Obsignantes, hoc
est sacratissimo chrismate eos chris-
mant, dicimus: *Signum doni Spir-
itus Sancti*, et haec verba, secundum
eos, chrismatis Sacramentum perficiunt.“
Quamvis autem haec Cardinalis
assertio oppugnata fuerit a Lupo
in notis ad Canon. 95. Concilii Trul-
lani, vix tamen erit, ut Lupi senten-
tia plures inveniat suffragatores praesentia
Cardinalis Bessarionis, ut
optime advertit Arcadius lib. 2. c. 7.,
ubi post relatum Bessarionis effatum
haec subdit: „Hactenus Bessarion, quo-

certe, quae fiunt in Ecclesia Orientali
circa Sacramentorum administrationem,
praestantius callere poterat nemo.“ Ar-
cudio consentit Goarius in notis ad
Euchologium p. 301. Item Habert in
suis notis ad Pontificale Graecorum
Observat. 4. n. 2. Et omissis aliis,
qui facile cumulari possent, satis hic
erit afferre, quae habentur in Synodo
Zamosciae, ubi agitur de Sacramento
Confirmationis: „Forma, quam probata
et schismate ipso antiquiora laudant
Euchologia, haec est: *Signaculum doni
Spiritus Sancti, amen*: eaque semel
dumtaxat simul cum ipsa unctione
proferri debet.“

§. 47 (55). Celebre est in Ecclesia
Graeca decretum s. Methodii Patriarchae
Constantinopolitani, qui medio circiter
nono saeculo floruit ac semper in id
maxime incubuit, ut aberrantes ad
sanctae unitatis gremium revocaret.
In quo decreto quum illud statutum
reperiatur, ut, *qui ab Ecclesia des-
civerunt deindeque ad illius sinum re-
vertuntur*, sequenti ratione recipian-
tur: „Oratione completa, sacro un-
guento accepto, secundum baptizato-
rum consuetudinem, illum inungit,
Crucis signo expresso in fronte et
oculis et naribus et ore et duabus
auribus et manibus et pectore et sca-
palis dicens: *Signaculum doni Spir-
itus Sancti*“: Hinc oritur magni sane
momenti difficultas, dum alterutrum
dicendum videtur, aut scilicet ea verba:
Signaculum doni Spiritus Sancti, non
esse in Ecclesia Graeca formam Sacra-
menti Confirmationis, aut in eadem
Ecclesia Graeca Sacramentum hoc iterato
conferri iis, qui jam semel ipsum et
quidem valide suscepserunt, si deinde,
post apostasie crimen, ad Ecclesiam
reverti velint; quod sane contrarium
est receptae sententiae, quae pro in-
violabili regula habetur, ut Sacramenta,
quae characterem imprimunt, iterari
nequeant iis, qui semel valide ea sus-

ceperunt juxta definitionem Tridentinae
Synodi sess. 7. de Sacramentis
in genere Can. 9. Nec quicquam pro-
dest confugere ad supra citatum Cano-
num 7. Concilii Constantinopolitani I.,
quo statuitur, ut saero Chrismate re-
concilientur Ariani, Macedoniani, No-
vatiiani et Appollinaristae, quum ab
haeresi conversi ad Ecclesiam sese
recipiunt. Hujus namque Canonis san-
ctio praenominatos tantummodo haer-
eticos respicit, qui Sacramentum Con-
firmationis aut nullo modo aut inva-
lide conferebant. At s. Methodii, de-
crem generale est eosque omnes
complectitur, qui post defectionem ad
Ecclesiae sinum redire cupiunt. Quum
autem in quibusdam Euchologiis, ubi
de poenitentium reconciliatione agitur,
eadem legantur praescripta, quae ha-
bentur in decreto s. Methodii, se-
quitur, ut eadem difficultas, quae circa
decretem hujusmodi offenditur, in praesi-
dicatis etiam Euchologiis occurrat.
§. 48 (56). Incredibile est quantopere
se torqueant scriptorum ingenia, ut
propositae difficultati satisfaciant. Sunt
qui asserunt Decretum illud nequa-
quam conditum fuisse a s. Methodio
Patriarcha Constantinopolitano 842,
sed ab alio quodam Methodio Pa-
triarcha schismatico, qui Urbis Regiae
Sedem occupabat anno 1640. Sed quum
Goarius in notis ad ipsum decretum,
quas addidit ad Calcem Euchologii a
se illustrati p. 698, testetur se com-
plura vidiisse monumenta temporibus
hujusce Methodii antiquiora, quae illud
ipsum decretum Sancto Methodio Pa-
triarchae tribuunt, hoc satis est ad
demonstrandam responsionis hujusce
levitatem. Sunt alii, qui et admittunt
verba illa: *Signaculum doni Spiritus
Sancti*, esse formam Sacramenti Con-
firmationis, et agnoscent, juxta decre-
tum s. Methodii, quoties apostatae con-
versi in unitatem Ecclesiae recipieban-
tur, eadem verba proferri debuisse,

dum poenitentes sacro unguento ungebantur, sed tamen putant non ideo affirmari posse Sacramentum Confirmationis collatum fuisse iis, qui jam semel illud suscepserant, quum ad collationem Sacramentorum necessaria sit intentio ministri; in ea autem unctione satis appareat non fuisse ministri intentionem, ut Sacramentum conferret, sed ut apostamatam conversum Ecclesiae reconciliaret. Hac responsione utitur Du Hamel Theologiae tom. 6. edit. Paris. anno 1605 p. 383, eamque innunt quoque Goarius in notis ad Eucholog. p. 598 §: *Verum potuisset*, Tournely in tractatu de Confirmatione circa finem, ubi ad objecta respondet p. 612 et seq. juxta editionem Paris. et Assemanus junior Codicis Liturgici lib. 3. de Confirmatione p. 63. Verum aliis pluribus responsio haec non probatur et praesertim Juvenino de Sacramentis dissert. 3. de Confirmatione quaest. 7. cap. 1. art. 1. §. 1., qui observat primo, nullum adduci graecum monumentum, ex quo inferri possit, eum, qui apostamatam reconciliat, dum sacro unguento illum ungit et profert verba, quibus continetur forma Sacramenti Confirmationis, animum habere a collatione Sacramenti alienum; deinde: nequaquam recte agere, quinimmo peccare ministrum, qui Sacramenti materiam et formam ei applicat, qui eidem suscipiendo idoneus non est, etiamsi Sacramentum ei conferre non intendat. Alii denique advertentes, priorum saeculorum monumenta testari, in Occidentali Ecclesia reconciliatos aliquando fuisse apostatas per manuum impositionem, fatentur quidem nunc temporis vetitum esse Confirmationis Sacramentum iterato conferre iis, quibus semel valide collatum fuerit, at olim non ita se rem habuisse ajunt proindeque concludunt, non adeo mirum videri debere, si in decreto Sancti Methodii, quod

pertinet ad Orientalem Ecclesiam, prescribitur, ut apostatae reduces iterum Sacramento Chrismatis confirmantur, quantumvis alias id ipsum valide suscepserint. At minime tutum est hoc etiam sistema. Quum enim nonnulla ex indicatis monumentis diserte testentur, apostatas receptos fuisse *sola manum impositione*, si quis hanc ipsam putat fuisse collationem Sacramenti Confirmationis, hoc probare tenetur, sola manum impositione nullaque unctione adhibita, Sacramentum istud tunc temporis collatum fuisse. Si quis autem dixerit (quod aliquo etiam exemplo fulcire posset), una cum impositione manum sacram quoque unctionem in hujusmodi poenitentium reconciliatione adhibitam fuisse, illud nihilominus, ad evincendam iterationem Sacramenti, ostendendum illi supererit, an aliqua et quaenam verborum formula proferri soleret ab eo, qui et manus imponebat et Chrismate ungebat. Marcus Rhemensis in tractatu de variis Capitibus Ecclesiae cap. 18. plures recenset species impositionis manuum. Hoc ipsum accurate presstit auctor glossae in can. manus imposito, 1. quaest. 1. Duo celebres viri, Sirmonodus in suo Antirhetica secundo cap. 5., et Morinus de Sacram. Confirm. cap. 12. p. 56 et iterum in tract. de Poenitentia lib. 9. cap. 9. et 10. existimant, impositionem manuum, de qua nunc loquimur, fuisse confirmatoriam. At Petrus Aurelius contendit eamdem in reconciliandis haereticis adhibitam meram fuisse Caeremoniam, non vero alicius Sacramenti collationem. Et hanc quidem sententiam amplectuntur Lupus in Can. 7. Constantinopolitanum tom. 2. p. 46 et seq. Arcudius lib. 2. cap. 18., Suarez. in 3. part. Divi Thomae tom. 3. quaest. 72. disput. 34. sect. 1. §.: *Unde est tertia responsio et disput. 36. art. 11. sect. 3. §.*: Ad rationem dubitandi. Quapropter

Witasse in sua tract. de Sacram. Confirm. post relata monumenta omnia, quae alterutri opinioni favere possunt, denique p. 63 utramque in sua probabilitate relinquunt; eademque prudentia se gerit auctor additionum ad Estium in lib. 4. sentent. dist. 5. §. 16. lit. B. p. 87.

§. 49 (57). Alia itaque ineunda est ratio, ut satisfiat praedictae difficultati, quae oritur ex decreto s. Methodii et ex his, quae in aliquibus Euchologiis, cohaerenter ad idem decretum, adnotata reperiuntur. Et primum quidem, quod ad decretum attinet, relatum idem legitur in Annalibus Ven. Cardinalis Baronii ad annum Christi 842 sed diverso plane modo, ac ab aliis refertur quamque a Nobis superiorius conscriptum fuit. In eo enim, quod refert Baronius, minime prescriptum legitur, ut in apostatae reconciliatione proferantur verba: *Signaculum doni Sancti Spiritus*, licet prescribatur unctio cum sacro unguento peragenda. E quamvis adhuc legatur: *Chrismate ungantur, ut solent inungi, qui baptizantur*; nihilominus (omisso etiam, quod aliqui satis versimiliter defendunt, haec verba addititia esse, iisdemque admissis, tamquam authenticis) eorum naturalis germanusque sensus is semper erit, ut in reconciliatione apostatae ungantur eadem corporis partes, quae inungi solent, quum post baptismum Confirmationis ministratur. Cumque nihil adjiciatur de prolatione verborum: *Signaculum doni Spiritus Sancti*, evanescit vis omnis propositae difficultatis. Accedit insuper, quod quum Legati a s. Nicolao Papa I. in Bulgaria missi Confirmationis Sacramentum iis contulissent, quibus jam idem a graecis Presbyteris ministratum fuerat, ob eam praecipue rationem, quod hujusmodi Presbyteri facultatem a Sede Apostolica non obtinuerint pro talis Sacramenti admini-

stratione, acerrimam adversus eos querelam instituit Photius in suis encyclicis literis, hoc illis vitio vertens, quod Sacramentum Chrismatis contulissent iis, qui jam semel confirmati fuerant. „Talem quis insaniam unquam audivit, quam isti mentecapti audere non dubitarunt, ut illos, qui semel Chrismate uncti sunt, iterum chrismarent, excelsa denique mysteria in nugas et derisum convertentes?“ Ex hoc autem aperte evincitur, s. Methodium in suo decreto minime statuisse aut voluisse, ut Sacramentum Chrismatis iterato ministraretur iis, qui jam antea confirmati fuerant, si forte post apostasie crimen ad Ecclesiam redirent. Nam Photius, qui quadraginta circiter annis post mortem s. Methodii floruit quique pravi sane animi sed doctus et cautus homo semper habitus fuit, non id apostolicis Legatis adeo acriter objecisset, quod Sacramentum Chrismatis iterasset, si Methodius antea decrevisset aut ea mente fuisse, ut apostatae ad Ecclesiam redeuntes idem Sacramentum iterato susciperent; facile enim prospexit hoc sibi responsum a Legatis redditum iri, se nihil ultra citrave egisse, quam quod Ecclesia Orientalis, ex decreto s. Methodii, servare consueverat, dum aberrantes in unitatem percipiebat.

§. 50 (58). Quod autem pertinet ad Euchologia, si in eorum aliquo prescriptum legitur, ut in poenitentium reconciliatione adhibeatur sacra unctio cum prolatione verborum: *Signaculum doni Sancti Spiritus*, id utique tribendum est interpolationi schismaticorum, quibus a Theodoro Balsamone persuasum fuit, ut si quis Latinus ad Graecos commigraret, huic Sacramentum Confirmationis denuo conferendum esset, uti testatur Gregorius Protosyncellus in apologia adversus Marcum Ephesium in collectione Concil. Harduini tom. 9. p. 640. At enunciatae

formulae prolatio minime praescripta reperitur in quamplurimis manuscritis Euchologiis, quae inspexit et recognovit vir summa fide dignus Joannes Matthaeus Cariophylus Cydonius, quemadmodum refert Arcudius lib. 2. de Reformat. cap. 18.; quodque magni aestimandum est, nihil ejusmodi legitur in celebri Euchologio Cryptae Ferratae. Quare in Congregationibus super correctione Euchologii habitis tam sub Urbano VIII. quam nostris hisce temporibus, Nobis annuentibus, decretum fuit, ut in Euchologio, quod correctum typis edendum orat, Ritus reconciliacionis poenitentium ad eam plane formam exigetur, qua descriptum legitur in Euchologio Cryptae Ferrate: id quod est factum. Quum enim in Congregatione habita die 7. Jan. 1748 propositum fuisse dubium: *an corrigendus esset Ritus reconciliandi apostatas in unitatem Ecclesiae redeuntes ad formam in decreto Methodii traditam?* *Animadversum fuit:* unctionem eorum, qui reconciliantur, ibi quidem praescribi eo modo, quo unguntur ii, qui baptizantur: sed ut in hujusmodi unctione peragenda proferri debeant verba: *Signaculum doni Spiritus Sancti*, id in paucis solummodo, iisque recentibus, Euchologiis adscriptum reperiri. Itaque in alia Congregatione habita die 18. sequentis mensis Februarii decretum fuit: „Corrigatur Euchologium impressum ad formam Euchologii Patriarchalis Cardinalis Bessarionis, nunc Cryptae Ferratae.“ Factaque Nobis relatione atque omnibus per Nos inspectis libratisque decretum idem approbatione nostra roboratum fuit. . . .

Dat. Romae 1. Mart. 1756.

(Bull. Bened. XIV. t. IV. p. 225.)

De Ritibus observandis Graecorum Melchitarum Patriarchatus Antiocheni.

V. FFr. Patriarchae Antiocheno Graecorum Melchitarum et omnibus ejusdem Ritus cathol. Episcopis eidem Patriarchae subjectis.

Benedictus PP. XIV.

§. 3. De ritibus et moribus Eccl. Graecae illud imprimis generalim statuendum decrevimus, nemini licuisse aut licere, quovis titulo et colore et quamcumque auctoritate aut dignitate etiam si Patriarchali aut Episcopali praefulgeat, quidquam innovare aut aliquid introducere, quod integrum exactamque eorumdem observationem imminuat. Hinc est, quod Euthymii olim Archiepiscopi Tyri et Sidonis, viri alioquin catholicci reique christianaee propagandae studiosissimi, factum, alias ab hac Sede Apostolica de anno 1710 improbatum, iterum cogimur reprobare inductamque ab eo, auctoritate propria inconsultoque Romano Pontifice, non nullarum Ecclesiae Graecae consuetudinum immutationem, revocamus atque irritam fuisse et esse decernimus omnesque imposterum et singulos Ecclesiae Graecae Ritus et mores a Patribus traditos omnino servari mandamus, specialiter injungentes Ven. Fratri Patriarchae Antiocheno, ut eorum conservationi diligenter invigilet ac provideat, ne ulla novitas (unde confusionis ut plurimum et scandali occasio) in ipsis introducatur: Permittentes solummodo eidem Patriarchae et Episcopis Catholicis in propriis dioecesis facultatem corrigendi atque extirpandi abusus, si quos aut errore vulgi aut schismaticorum dolo sive saeculi vitio inter eos irrepsisse compererint vel etiam aliqua peculia ria pietatis exercitia admittendi ac probandi, si quae ad promovendam fide-

lium religionem apta et proficia prudenter in Domino judicaverint.

§. 4. Huic autem sanctioni generaliter a Nobis prolatae consentaneum est, ut illae consuetudines in specie, quae aliquam mutationem aut detrimentum subiisse feruntur, in pristinum vigorem reducantur et restituantur.

§. 5. Cum itaque praedictus Cyrilus Patriarcha Antiochenus in quodam Episcoporum consensu de anno 1736 in Mente Libano habito, supra enunciati Euthymii Archiepiscopi exemplum aliqua ex parte secundum sibi esse duixerit, ignorans vero, ut asseritur, Apostolicae Sedis decreta, quae ad ipsius petitionem anno 1732 prodierant (et quorum quidem executionem ab eodem in accipienda sua Dignitatis confirmatione in genere promissam, pro illius perspecta vitae officiique religione et constanti in hanc Sanctam Sedem observantia, nunquam eum scienter praetermissum fuisse, in animum inducimus), non solum sibi licere sed etiam expedire putaverit, receptam Ecclesiae Graecae disciplinam circa jejunia immutare: considerans nempe inopiam complurium suorum subditorum Graeco-Melchitarum, desertos Arabum pagos incolentium, ubi ciborum quadragesimalium maxima est penuria, magnam insuper severitatem ac diuturnitatem abstinentiarum, quae in Ecclesia Graeca observantur, ubi nimis, praeter jejunium Quadragesimae, quod in tota Ecclesia Paschalibus Resurrectionis Domini Festis apostolica institutione praemittitur, similis etiam quadraginta dierum abstinentia Natalitiae Christi solemnitiati praecedit; tum alia demum ante Festum Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli totidem dies complectens, quot a Feria secunda post octavam Pentecostes ad eorumdem Apostolorum Festum intercurrunt: perpendens etiam relaxationem

disciplinae, quae per Euthymii decreta jam apud illas Gentes invaluerat, difficile posse ad veterem rigorem revocari: super tribus hujusmodi abstinentiis postremo loco recensitis, quoad omnes Incolas Pagorum Montanorum, perpetuo dispensans eas coactaverit singulas ad unum diem immediate praecedentem enunciatas solemnitates Natalis Christi, Assumptionis B. M. V. et Martyrium ss. Apostolorum Petri et Pauli.

§. 6. Nos hujusmodi innovationem et abstinentiarum relaxationem et coactationem in nimium detrimentum veteris Graecarum Ecclesiarum disciplinae vergere judicantes, licet alioquin, deficiente auctoritate Apostolicae Sedis, nullius roboris esse dignoscantur, eas tamen auctoritate Nostra expresse revocamus et nullum effectum imposterum habere neque ulla tenet executioni mandari, sed omnia in pristinum restituи debere jubemus. Atque insuper in toto tractu Patriarchatus Antiocheni laudabilem consuetudinem a majoribus derivatam, abstinenti etiam qualibet Feria quarta et sexta per annum ab esu piscium, quae ab aliis quoque finitimi populis ejusdem Graeci Ritus exakte custoditur, indistincte servari praecepimus.

§. 7. Et nihilominus decreta Congregationis particularis de Propaganda Fide alias die 22. Jan. anni 1732 de ejusmodi rebus edita et a praedicto Patriarcha, ut asseritur, ignorata renovantes ac paterno animo commiserantes egestatem Fidelium Incolarum Libani et Anti-Libani et inopiam ciborum quadragesimalium, quae in plerisque locis illius tractus adesse fertur, ob quam saepe accidit, ut carnis et lacticiis necessario vesci debeant, indulgendo statuimus, ut illaesa remanente etiam quoad illos generali lege de jejuniis et abstinentiis, a qua nemini liceat dispensationem in genere con-

cedere, si tamen aliquando vera et gravis necessitas urgeat dispensandi cum aliquo coetu seu communitate, facultatem concedimus Ven. Fratri Patriarchae Antiocheno, ut in singulos tantum annos, quibus eam necessitatem persistere cognoverit et non aliter nec alio modo hujusmodi dispensationem singulis praefatis communitatibus concedere possit, non omissis interim debitis cautionibus, per quas veterum Rituum neglectui et obliuioni sensim irrepenti occurri posse, pro suo arbitrio et prudentia, existimaverit.

§. 8. Simili modo nullam innovacionem fieri debere decrevimus in eo, quod respicit celebrationem Sacrosanctae Missae Sacrificii, quod unicum in singulos dies super quolibet altari offerri veterum Sanctorum Ecclesiae Graecae Patrum praecepto et consuetudine traditum est; propterea que minime indulgendum censuimus petitioni per eumdem Patriarcham Nobis porrectae, qua postulaverat, ut ad satisfaciendum pietati Sacerdotum et multiplicibus fidelium oblationibus, praedictum Ritum antiquitate commendatum immutari permitteremus et in Ecclesiis Libani et Anti-Libani plures Missas eodem die super eodem altari offerendi Sacerdotibus fieret potestas, ac praeterea in Feris Quadragesimae (quo tempore, exceptis diebus Sabbati et Dominicae, non nisi Praesanctificatorum Missa in Graecis Ecclesiis celebratur) integrum Sacrificium peragendi facultatem concederemus. Quibus de rebus veteres Ecclesiae Graecae rubricas omnino servari earumque executionem Sacerdotibus inculcari mandamus, eliminata tamen ab opinione vulgi inepta credulitate, qua nonnulli arbitrari dicuntur, Sacerdotem utentem indumentis et supellectilibus, quibus aliis Sacer-

dos eodem die usus est, jejunii observantiam infringere.

*§. 9. Permittimus tamen, juxtra decre-
tum latum die 31. Martii 1729 ab aliquibus ex Ven. Fratribus nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus negotiis Propaganda Fidei prae-
positis, ut alia altaria in loco Ecclesiae apto erigi possint. Si autem altarium numerus celebrantium et of-
ferentium multitudini non respondeat,
liceat pluribus Sacerdotibus, ubi hujus-
modi consuetudo viget, super eodem
altari unacum Episcopo vel alio Sa-
cerdote Sacrificium peragente conce-
lebrare, ita tamen, ut sacris vestibus
more celebrantium induiti unusquisque
totam Liturgiam integre recitet et
verba consecrationis proferat, perinde
ac si Sacrosanctum Sacrificium singu-
latim conficerent.*

§. 10. Hujusmodi autem Sacrificii singuli Sacerdotes juxta mentem eorum, qui voluntarias oblationes exhibent, licite valeant applicare. Quod si secundae et ulteriores oblationes pro ejusdem Sacrificii applicatione superaddantur, Sacerdos, qui eas receperit, semper teneatur monere fideles posteriore loco offerentes de aliis oblationibus ad eumdem finem acceptis; et nisi iidem offerentes unica Missae celebratione se voti compotes fore declarant, sciat se unico Sacrificio plurium voluntati minime satisfacturum. Eorum vero mentem, qui pro Sacrificio obtulerunt, nunquam a Sacerdotibus impletum iri declaramus per solam adjectionem particularum et commemorationem, quae in panis praeparatione ante Missae Sacrificium fieri solet: cum omnino necessaria sit integra concelebratio, nisi de eorumdem offerentium voluntate aliter fiat.

*§. 11. Ut autem a Sacerdotibus Graeco-
Melchitis in Sacris Mysteriis peragen-
dis una et eadem Caeremoniarum ratio
iidemque Ritus serventur et ne aliqua*

*sensim in iisdem obrepant difformitas,
mandavimus typis Congregationis de
Propaganda fide imprimi Missale ad
usum illorum Ecclesiae juxta rubricas
remotissima antiquitate firmatas, quod,
absoluta editione sacrorum Librorum
Ritus Coptici, qui sub praelo sunt, in-
cessanter impleri curabimus.*

Die 24. Dec. 1743.

*(Bull. Bened. XIV. t. I. p. 290.
§. 3—11.)*

Definitio quorundam articulo- rum circa Ritus Graecorum.

*Innocentius PP. IV. Venerabili Fratri
Episcopo Tusculano Apostolicae Sedis
legato salutem et apostolicam
benedictionem.*

Sub catholicae professione fidei atque cultu consistere ac proficere universos caeteris nostrae mentis desiderabilibus praeferentes illud tanquam acceptabilius pleniori desiderio cupimus et ad hoc velut operativum salutis praecipuum intimis affectibus anxius aspiramus. Haec inquam unio sive connexio cordi nostro inestimabilis gaudii rorem infunderet, si verias gentium nationes ejusdem observantia fidei in unum acceptabilem Christo populum adunarent. Id utique anxiae nostrae mentis ardorem affluentis laetitiae refrigeraret irriguo, si omnes, quos olim in unum catholicum gregem ovile collegit Dominus, cum multi ab eo discesserint, in idem individuum collegium unius pastoris solidaret magisterium et custodia communiret. Oh si Orientalibus Oriens ex alto luceret et sui luminis illustratione ipsos ad catholicam reduceret unitatem, ut cum reliquis orthodoxis in unius aulae collecti gremio de matris Ecclesiae ubere fluente doctrinae salutaris haurirent! Tunc ipsi Ecclesiae proveniret magnum et desiderabile salutare, tunc ejus uterus sobole geminata concreceret, tunc

*Orientalibus oriretur supernae illuminatio-
nis aurora; tunc eis claresceret Lucifer veritatis; tunc per universam Ecclesiam inundantis gaudii erumperet plenitudo; tunc exultatione nimia claresceret totus orbis, quia valde bonum et jucundum existeret fratres simul in domo Domini habitare; tunc eadem Ecclesia multiplicata laetitia novae jucunditatis canticum personaret.*

§. 1. Verum quia nonnulli Graecorum jamdudum ad devotionem Sedis Apostolicae redeentes ei reverenter obedient et intendunt, licet et expedit, ut mores ac Ritus eorum, quantum cum Deo possumus, tolerantes, ipsos in Ecclesiae Romanae obedientia praeservemus. Quamquam in his, quae animarum periculum parerent vel honestati ecclesiasticae derogarent, nec debeamus illis deferre aliquatenus nec velimus.

§. 2. Sane inter venerabilem fratrem nostrum Archiepiscopum Nicosien. et ejus suffraganeos latinos ex parte una et Episcopos gracos regni Cypri ex altera de quibusdam certis articulis discordiam et turbationem fore subortam et eorumdem tenorem articulorum ac responsiones ipsorum Graecorum ad illos nobis, ut melius possemus instrui super eis, plene ac provide per tuas literas intimasti, sollicite requirendo, ut providere super hoc apostolica diligentia curaremus.

§. 3. Nos autem literis ipsis affectuose receptis, earum seriem et ipsos articulos ac responsiones easdem et caetera, quae continebantur in illis, una cum fratribus nostris perlegimus et intelleximus diligenter, prudentiam tuam multipliciter in Domino commendantes et meditantes ac deliberantes super his, prout rei qualitas exigebat.

*§. 4. Circa haec itaque sic delibe-
ratio nostra resedit, ut Graeci ejus-
dem regni in unctionibus, quae circa*